

Rome, [1601 ou 1602]

/ Ill<sup>me</sup> et R<sup>me</sup> Domine.

Josephus a Winden ex haeretico per Dei gratiam catholicus optimus et religiosissimus factus est; inde per manus ipsius summi Pontificis sacramentum confirmationis accepit, ac de ejusdem Pontificis permissione ad sacrum Presbyteratus ordinem ascendit. Is parentes suos secundum carnem ad agnitionem veri luminis perducere cupiens in Germaniam nunc revertitur. Eum ego, ut mihi bene notum, R<sup>mae</sup> D.V. commendatum ex animo cupio, pro comperto habens, si quid in eum beneficii collatum fuerit, id in hominem dignum et gratum collatum iri. Ego quoque loco magni beneficii ducam, si ob meam intercessionem bonus hic juvenis ad gratiam D. V. R<sup>mae</sup> aditum sibi patuisse cognoverit. Vale R<sup>me</sup> Domine, et me inter homines tibi addictissimos numera. Datum Romae...

[ Munich. Reichsarchiv. Jesuitica in genere, fasc.19. Ms.324. Minute autogr.]